

bebant Theologiam Exegeticam quoad materi-  
am, etsi illa in formam debitam nondum fuerit  
redacta: quod tentavit primum *Flacius*, profecu-  
tus est *Franzius*, perfecerunt vero *Dannbauerus*,  
*Pfeifferus*, *Baierus*, *Reinhardus*, aliique: adde  
ex Pontificiis *Sixtum Senensem* & alios.

Quare Fanaticos, & crassos, & subtiliores rejicimus,  
qui studium Exegeticum spernunt, atque sine e-  
jus ope, se sacras literas salutariter tractare pos-  
se, credunt.

§. V. Est vero Theologia Exegetica Disci-  
plina instrumentalis, fatente *B. Pfeiffero in Thesau-  
ro Hermenevtico p. 16.* non quidem in *rigore Aristoteli-  
co*, quasi per se & propter seipsam non esset di-  
gna, quae tractaretur; sed in *sensu analogico*, qui  
dignitati hujus studii nihil detrahit: re vera enim  
est ὄργανον ὀργάνων & dextra velut manus Theo-  
logiae.

§. VI. Tractanda vero est methodo analyti-  
ca, ita, ut cognito fine, subjectum, in quod finis  
introducendus est, & media, per quæ finis intro-  
ducitur, debito ordine considerentur. Præ cæte-  
ris vero perspectum esse debet officium, vel actus  
formalis studii exegetici, qui est legitima tractatio  
Scripturæ, quatenus est principium Theologicum.  
Pertinent vero ad hoc officium tres actus speciales,  
sequenti ordine:

- 1) Scripturam vindicare a contemptu & abusu, atque  
in dignitatem principii Theologici vindicare:
- 2) Introducere in accuratiorem & magis familiarem  
Scripturæ sacrae notitiam:

A 2

3) Ex-